Opuscula

IN NOMINE DOMINI AMEN.

ANIMUS

Eruditionis Habendæ Avidus,

Aristotelica Philosophiâ, veluti Amplissimo sciendi Regnô

PERLUSTRATO;

Regi Immortali & Invisibili,

DEO T. O. M.

Uni in Essentia & Trino in Personis

Experimenta Scientifica,

Quæ integro biennali conquisiverat Cursu,

In Holocaustum Latreuticum:

Per publicam Conclusionum Peripateticarum ad disputandum Expositionem.

Sub Assistentia

M. CASIMIRI STĘPLOWSKI

S. Theologiæ BACCALAVREI, ac protunc Cursûs Philosophici Vladislaviani PROFESSORIS, Collegæ Majoris, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviam CANONICI.

Objectis satisfaciente

Excellen: M. ALBERTO FOLTANSKI Philosophiæ Doctore, protunc ejusdem Cursus Philosophici Auditore.

In Collegio Majori, Generalis Studii Vniversitatis Cracoviensis,

Cum Recognitione Supremi Dominii & Auxilii Divini

Sibi toto bienniô præstiti,

Cum abyssali adoratione

OFFERT.

Annô Domini 1746. *Die* 22. *Mensis Junii*

CRACOVIÆ TYPIS VNIVERSITATIS

Illa, quæ in disciplinis traduntur, quæ quisq; intelligit verissima esse, nulla dubitatione concedit; credendum est, ea non posse intelligi, nisi ab alio quasi suo sole illustrentur. Ergo quomodo in hoc sole tria quædam licet animadvertere, quòd est, quòd fulget, quòd illuminat: ita in illo secretissimo DEO, quem vis intelligere, tria quædam sunt: quòd est, quòd intelligitur, & quòd cætera facit intelligi. *S. Augustinus Lib. 2. soliloqu. Cap. 8.*

O Domine DEVS noster! in velamento alarum Tuarum speremus & protege nos, Tu portabis & parvulos, & usq; ad canos: quoniam firmitas nostra, quando Tu es, tunc est firmitas: cùm autem nostra est, infirmitas est. *D. Augustinus Lib. 4 Confess. cap. 16.*

Non est dignus beneficium consequi, qui de beneficiis acceptis gratias non agit. *S. Thomas Aquinas in Epist. ad Rom. Sec. 5.*

Ad veram gratitudinem nos inducere debet consideratio dantis, qui est DEVS Omnipotentissimus, Nobilissimus, Amantissimus, Fidelissimus, Optimus, Beatissimus & Perfectissimus. *B. Albertus Mag. parad. animæ cap. 25.*

DEO T. O. M.

Uni in Eſſentia & Trino in Perſonis

In quo, & à quo & per quem ſapiunt, quæ ſapiunt omnia, â quo admonemur, ut vigilemus, per quem mala fugimus & bona ſequimur, qui nos in omnem veritatem inducit, cui ſerviunt omnia:

Animus Gratus

SI hominibus, nobis in natura æqualibus pro acceptis adſtricti ſumus beneficiis; longè multò pro effuſis in nos cælitùs gratiis, omnium bonorum Largitori DEO obligamur, juxta generale & abſolutum ſapientis monitum: gratus eſto. Non vult infami ingratitudinis labe ſalutis inimica, Animus Philoſophi infici, ne pereat; non vult, ita immemor eſſe, ut ampliſſimum ſciendi Regnum perluſtrando, Divinæ non adſcribat gratiæ, quidquid biennali Curſu ex ſcientificis conquiſiverit experimentis, quidquid decoris ſuo comparaverit ingenio, quidquid boni profectûs de Ariſtotelico Athenæo extulerit. Non etenim in vanum, Peripateticum tanto temporis intervallô circuibat Imperium: laſſatus quidem toties: toties æſtuantibus fervebat ignibûs, brumalibus algebat pruinîs, moleſtiis, quod commune eſt Viatoribus, non rarò quaſſatus procellîs; non àërem tamen verberabat, non Æthiopem lavabat, non aureos in imaginativa componebat montes; nām pretioſiſſimis ſciendi locupletatus opibûs, acſi Univerſam emenſus fuiſſet terram, acſi omnia circumnavigâſſet æquora, acſi integrum obambulâſſet cælum, velut ab extero ſole in patrium illuſtrior rediit ſolum. Et qui olim, antequam Ariſtotelico ſeſe committeret imperio, hiſpidus, informis, inops, impolitus, rerumq́ ignorantiâ obſcuratus deliteſcebat; jam nunc perluſtrato vaſtiſſimo ſciendi Regnô, limatus, venuſtus, locuples, excultusq́ naturarum notitiâ comparet, ut firmiſſimam admirationis impreſſionem, mentibûs ſeſe curioſè modò contemplantibus ingerat neceſſariò. Ille diligens, ac in cæptis ad finem perſeverans Animus, quem primùm ſpinæ Logicæ à ſuis perplexitatibus retrahebant, inter ejuſmodi ſpinas, immarceſcibiles frontis ſuæ coronatrices roſas reperit. Ille pervigil Animus Phrygias intuitus

gazas, quas olim ignorabat divitibus ab Erythra & Taprobane gemmis, solidis abEoo adamantibûs, fulgentibus à Tyro purpuris, pretiosis ab Assyria velleribûs rutilo à Dalmatia aurô, evisceratis è montium jugis Pariis lapidibûs, quondam egenus incedens ac horridus, pulcherrimè sub Aristotelico sole resplenduit. Ille Animus cæli mysteria comprehendit, quem olim etiam terrena latebant, rerum quidditates, substantiasq́ abstractas contemplatus, velut à corporea ad Angelicam elevatus sublimitatem, qui quondam materiæ intrinsecabatur; ad DEUM Ipsum Illiusq́ Attributa, ad existentiam, immobilitatem, ubiquitatem, infinitatem, simplicitatem, sua celsitudine accessit, qui quondam non ita pridem ad primum rerum principium, quod, & cujus naturæ esset, vix fide perveniebat. Ille deniq́ Animus non solum formas abstractas in Peripatetico sciendi Regno complexus, ut frustra moderni opinantur Neoterici; sed etiam cum abstractis formis, optimè mechanica eorum principia conciliavit: edoctus enim tot particularis Physicæ objecta; uti, omne corpus esse trinè mensurabile, omnia impleri æthere, causam motuum inveniri in mundo, nimirum motus cælorum, dicto mediante æthere, quam solum DEUM Neoterici esse imaginantur; in elementis figuram, subtilitatem partium mutabilem, situm, gravitatem aut levitatem intuitus est, meteorologicarum impressionum materiam, ex qua fiant, modum quô mechanicè componantur, locum in quo generentur, motuum irregularitatem, quibus suos mutant situs, aliasq́ passiones plenè permeavit, mundum subterraneum vidit, magisterium Artis & Naturæ pervasit: quomodo in plantis anima vegetet, nutriat, generet, crescat: quomodo in animalibus sentiat, sensibilia percipiat, ejusq́ organorum usum, situm, machinationem; quomodo rationalis in homine intelligat, velit, discurrat, an cum phantasmatibus, an sine, an cum speciebus intelligibilibus, vel absq́, an cum acquisitis an cũ infusis, an eodem modô conjuncta corpori, vel à corpore separatâ operationes suas exercet, singula facili viâ penetravit. Hæc igitur & his similia, quæ hic brevitati studentes consultò prætermittimus experimenta, quæ in Aristotelico sciendi Regno, biennali conquisivit labore, non propriæ duntaxat applicationi, verùm cælesti magisterio, non cuivis alteri, sed ipsi DEO T. O. M. *in quo sunt infiniti Sapientiæ thesauri, plenissimè attribuit Animus, ut se hac publica manifestatione Supremo Numini gratum exhibeat. Cui pro auxiliante movente, ac efficaciter præmovente Gratia, Latreuticum offert holocaustum, dum sua Peripatetica experimenta, ad publicam, cum abyssali adoratione Disputationem transfert. Ideoq́ verum esto, quòd* DEO T. O. M. *Uni in Essentia & Trino in Personis, in quo & à quo, & per quem sapiunt, quæ sapiunt omnia: à quo admonemur, ut vigilemus: per quem mala fugimus, & bona sequimur: qui nos in omnem veritatem inducit: cui serviunt omnia, Animus pro esse possibili Gratus.*

CON-

CONCLUSIONES
Ex Universa Peripatetica Philosophia Aristotelicò-Thomisticæ
EX LOGICA

I. FAlsa est opinio negantium dari Philosophiam, quam & à Platone & ab Aristotele bene definiri, ac in speculativam & practicam dividi, constat.

II. LOgicam esse utilem, ac priùs, quàm Physicam, aut Metaphysicam, addiscendam, ac ab intrinseco necessariā ad dirigendas mentis operationes, divisam in docentem & utentem, tanquam in Habitus solùm ratione distinctos.

III. LOgica secundùm totam latitudinem sumpta, est propriè scientia, illaq; speculativa, ac simplex qualitas: cujus objectum formale & adæquatum, est ens rationis directivum: non voces, nec actus intellectûs, nec rectitudo activa.

IV. ENs rationis consistit formaliter in esse objectivo, habetq; tam essentiam, quàm existentiam: est transcendens respectu suorum inferiorum, & à sola potentia intellectiva formabile, quod ab intellectu Divino practicè non cognoscitur.

V. QVamvis dantur à parte rei naturæ universales; universale tamen Logicum ante operationem intellectûs non datur, quod fit per actionem intellectûs possibilis comparativam, simplicem.

VI. GEnus prædicatur de speciebus, ùt totum potentiale, quod in substantiis corporeis sicut & differentia sumitur proximè à tota compositæ rei essentia: ex utroq; autem compositio est vera, sed non realis.

VII. SVbstantia per propriam speciem cognoscitur, habens rationem formalem positivam esse per se, in cujus prædicamento DEVS non ponitur.

VIII. ESsentia quantitatis prædicamentalis, est extensio partium in ordine ad se: partes tamen entitativas substantia ante actualem quantitatem inter se distinctas actualiter, non admittit.

IX. RElatio prædicamentalis est ens reale in esse *in*, cum esse *ad*; consistens, à suo fundamento realiter distincta.

X. ULtima sex prædicamenta non sunt relationes extrinsecùs advenientes, sed entitates absolutæ, connotantes aliquem respectum ad aliquid extrinsecum.

XI. FVtura contingentia, non per scientiam conditionatam, quæ non datur in DEO, cognoscuntur, sed in Decreto Voluntatis Divinæ, ante quod propositiones de futuro contingenti sunt indifferentes ad veritatem & falsitatē.

XII. SCientia, quæ cum fide & opinione simul in eodem subjecto, de eodem objecto stare nequit, nec de contingentibus singularibus, nec de entibus per accidens datur.

Ex Libris octo Physicorum.

I. OBjectum formale Physicæ est ens mobile radicaliter acceptum, cujus principia, non sunt atomi, nec 4. Elementa, nec quædam Chymicorum, neq; Cartesii, sed Aristotelica tria, materia, forma & privatio.

II. MAteria prima nullum omnino includens actum, est pars essentialis compositi physici, in qua ante formas substantiales non dantur dimensiones interminatæ; & hæc nec existentiam partialem, nec propriam habet subsistentiam, nec per Divinam sibi unitam potest subsistere.

III. PRivatio est ens reale secundùm id, quod dicit in obliquo, quæ tunc principiat, quando intelligitur inesse materiæ, conveniens cum materia & forma in ratione principii analogicè.

IV. FOrmas materiales, quæ omnes de potentia materiæ educuntur, non tamen cælorum aut elementorum, implicat separari à materia.

V. NAtura, quæ est principium motûs & quietis, est omnibus rebus intrinseca, falsumq; est res omnes ab extrinseco moveri. Et distinguitur ab arte ac violento, nec DEVS creaturæ inferre potest violentiam.

VI. Per artem, verum non efficitur aurum.

VII. MAgia naturalis & artificialis est licita. Inventio tamen thesauri per virgulam divinatoriam non pertinet ad magiam licitam.

VIII.

VIII. RAdix contingentiæ & neceſſitatis in rebus, eſt efficaciſſima DEI voluntas; proximum verò principium, eſt defectibilitas, aut indefectibilitas creaturæ.

IX. MOvens & mobile, agens & paſſum debent eſſe ſimul, nec datur actio in diſtans.

X. COrporibus ineſt vis motrix, quæ eſt quædam qualitas motuum corporeorum effectrix: cauſa verò motûs reſilientiæ, non eſt ſola elaſticitas.

XI. SIne actuali concurſu DEI tam ſimultaneo, quàm prævio, cauſa ſecunda non operatur: quem concurſum DEI prævium, dicimus eſſe prædeterminationem Phyſicam conſiſtentem in Decreto DEI formaliter immanente, virtualiter tranſeunte, quæ per ſuam efficaciam cauſat libertatem creaturæ.

XII. SIcut infinitum creatum actuale repugnat; ita nullum ens creatum poteſt augeri, aut diminui in infinitum; in continuo tamen, quod componitur ex partibus, dantur infinita indiviſibilia, potentialiter.

Ex Libris de Cælo, mundo ac elementis.

I. MVndus in tempore conditus eſt, cujus æternitas ex doctrina Ariſtotelis non neceſſariò colligitur.

II. Creatio eſt de Ariſtotelis mente.

III. CÆli mobiles ſunt undecim, figuræ ſphæricæ, non ſinguli tamen ſunt ſimplex ſphæra, incorruptibiles, ſolidi, inanimati, quorum motus eſt naturalis, neq; motus raptûs eſt ipſis violentus; aguntq;, etiam Empyreum, in hæc inferiora occultis qualitatibûs, lumine, motu, quo ceſſante ceſſarent actiones inferiorum.

IV. Aſtrologi poſſunt aliqua certò ex Aſtris prædicere.

V. ELementa, quæ ſunt quatuor, ſunt ſphæricæ figuræ, moventur motu ſimplici recto præter terram, quæ eſt immobilis.

VI. Aër eſt ſimpliciter levis & elaſticus.

VII. Quodlibet elementum ex quolibet immediatè generari poteſt. Et hæc manent in mixto, beneficiò qualitatis mediæ, ſolùm virtualiter.

VIII. DAtur vera mixtio; in mixtis tamen, non est dabile, temperamentum æquale ad pondus.

Ex Libris de Generatione & Corruptione.

I. POssibilis est generatio substantialis, per quam, quod producitur ut quod, est suppositum vel Persona, quæ Christi D. est univoca cum aliis hominibus.

II. NUtritio & augmentatio sunt motus continui, prima toto vitæ animalis tempore durans, non secunda.

III. VIvens toto tempore augmentationis manet idem numero, in quo augmentatio fit secundùm omnes partes viventis.

IV. REs permanens semel corrupta, solùm Divinitùs eadem numero potest reproduci; successiva nullo modo.

Ex Libris Meteororum.

I. MEteora alia dantur in àëre, alia in aqua, alia in terra, non tamen in regione ignis, nec inter sphæras cælestes.

II. Meteora alia sunt ignea, alia àërea, alia aquea, alia terrea

III. DAntur cometæ, qui sunt sublunares & moventur irregulariter.

IV. COmetæ prænuntiant effectus, habentes physicam cum illis connexionem, non necessariò tamen: mortes autem Principum, bella, hæreses, tyrannides, nisi per accidens.

Ex Libris de Anima.

I. ANima est substantia simplex, corporea formaliter eminenter, non tamen corpus.

II. IN uno vivente non dantur plures formæ substantiales partiales præter animam.

III. POtentiæ animæ specificantur ab objectis & actibus, quæ ab illius essentia & inter se distinguuntur realiter.

IV. SEnsus externi, qui circa objectum proprium, quod est universale, errare non possunt, sunt quinque; interni qui non omnes in omnibus inveniuntur, sunt quatuor.

V. Sensus

V. SEnsus partim sunt potentia passiva, partim activa: ex quibus visio fit per receptionem speciei, cujus objectum lux, est qualitas realis, non intentionalis.

VI. ANima intellectiva est spiritualis, immortalis, manens post mortem in statu felicitatis, aut infelicitatis, etiã in sententia Aristotelis.

VII. INtellectus, qui est vera animæ rationalis potentia indigens speciebûs impressis ad suas cognitiones, quem repugnat intelligere, intellectione à se non elicita, aut est speculativus, aut saltem extensivè practicus.

VIII. Ex indifferenti judicio repugnat procedere volitionem necessariam, sicut ex naturali, liberam: ratio autem formalis libertatis ut sic, est sola indifferentia objectiva.

Ex Metaphysica.

I. MEtaphysica considerans quod quid scientiarum particularium, est scientia speculativa, circa ens reale per se, in communi, occupata.

II. ESse, est primarius conceptus entis, quod respectu omnium inferiorum est analogum & transcendens, nullam cum suis differentiis faciens compositionem.

III. ESsentiæ rerum, in aliquo gradu entis, quamvis non sunt aliquid positivè extra DEUM ab æterno, non tamen sunt nihil; sed habent esse possibile, quæ possibilitas est rebus intrinseca derivata à DEO, ac idæis Divinis.

IV. DAntur præter substantias accidentia & modi distincti à re modificata.

V. NEc forma, nec hæcceitas, sed materia signata quantitate est radix individuationis substantiarum materialiũ

VI. DAtur status separationis animæ rationalis, illi præternaturalis, in quo intelligit & retinet species hujus vitæ, alias verò habet infusas.

VII. DIvisio potentiæ passivæ in naturalem, violentam & obedientialem est adæquata. Neq; dabilis est popotentia obedientialis in creatura proximè activa actuum, supernaturalium, aut potentia neutra.

VIII. DEmonstrabile est dari in rerum natura Intelligentias, quæ componuntur ex genere & differentia, ex actu &

potentia, ex natura & supposito, quas intra eandem speciem multiplicari repugnat.

IX. ANgeli secum colloquuntur, etiam secretò, si volunt; unus alium illuminat, solentq; variis modis apparere.

X. HÆc propositio, DEVS est, est per se nota quò ad se, non quò ad nos. Est tamen demonstrabile DEVM esse, etiam permisso processu in infinitum. Neq; dari potest in homine invincibilis DEI ignorantia rationis usum habente.

XI. DEVS est ens infinitum, simplicissimum omnis omnino compositionis expers, continens omnes perfectiones creatas eminenter, simpliciter simplices formaliter eminenter.

XII. DEVS ubiq, & in omnibus rebus existit, idq; ratione suæ actionis transeuntis, sed non in spatiis imaginariis; in quo attributa solùm ratione distinguuntur, ita; ut se implicitè includant.

XIII. CReatio, quæ non est realis mutatio, nullo modo competit creaturæ, quam dari ratione naturali demonstrari potest.

XIV. TOta Philosophia Peripateticorum, non perimit Physicam experimentalem Neotericorum; imò neq; utilem in illa profectum impedit, quod frustra moderni Neoterici imaginantur.

Hinc

Soli DEO Honor & Gloria.

Permissu Magnifici Domini

RECTORIS.

